

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

D.D.Medler superintendenti Braunsuicensi, amico suo charissimo, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

stitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Hanc sententiam adscripsi, quia tibi iucundam fore sciebam.

Clariss. uiro, D. Conrado Cordato, doctori Theologiæ N. compatri suo charissimo,

S. D. Vt igitur Loth erat in Sodomis, & uicinus erat Sem, egressus iam annum quadringentesimum, & Abraham: ita tu Euangelij uocem sonas, & colligis Ecclesiam aliquam Dei inter hostes: ac oro Dominum nostrum Iesum Christum, ut te seruet incolumem, & confortet. Vbiq; multæ & magnæ sunt difficultates. Doleo uicem N. regionis in qua degis: quæ non solum premitur tributis, sed etiam alijs miserijs. Vbicunq; ero, donec uiuo, si ullo genere officij possum tibi seruire, summa fide seruiam: & uolo te forti animo esse. Christophorum spero tibi fore obsequentem: & delaturum honorem, qui seni & bene merito in Ecclesia debetur. Bene uale. Die 27 Septembris, quo primum coepit quiescere arca Nohe, ante annos 3840. Deus quoque nunc det quietem Ecclesie.

D. D. Medlero superintendenti Braun-suicensi, amico suo charissimo,

S. D.

Clarissime domine Doctor, et amice charissime.

Els

III, 88.

Etsi scio tibi non deesse consilium: tamē propter amicitiam scribendum esse duxi, de contentione inter te & Morum orta. Naturam alterius noui: ideo cōsulo tibi prorsus, ut nihil scribas contra eū. Si res cognosceretur præsente D. Crucigero, moderatē dicas, quæ necesse est dici. Ceterum cum illo homine nihil contendas. Nostram epistolam ad Morum tibi mitto, etiam de Rectoris sententia. Sed Mori epistolam nolimus cuiquam ostēdere, quæ quidē magis ipsi Moro nocere possit apud prudētes, quā tibi. Scis me non rudem tyronem esse in hac re tolerandarum iniuriarum: nec me pariter simulasse & obruisse silentio insulsiſsimas calumnias: et omnibus amicis idem do consilium. Quia Deus tandem profert uera, & defendet eos qui propter publicam utilitatē priuatæ iracundiæ frenos iniiciūt. Bene uale, & rescribe. Datā die letissimi congressus Mariæ & Elisabethæ, Anno 1547.

Honestissimo uiro, sapientia & uirtute præstanti, Ioanni Botifero seniori, S. D. / ch.

Honestissime uir, & amice charissime, conſolemur nos uoce diuina: Generationi rectorum benedicetur. Nam in tantis confusionibus generis humani, nulla familia conseruari potest solis humanis consilijs & præſidijs. Sed Deus protegit aliquas
s
piorum